Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3235
Quelle:
Copyright:

Sewallus ſedem primum a. 1256. conſcenderit. *Ex Revelationibus Brigitte contra Sacerdotes celebrantes ſcienter in peccato mortali.* Edita. *Magiſter Nicolaus Orem* ſ. Oreſmius Normannus mortuus a. 1382. *contra Mendicantes.* Opuſculum, unde Excerptum iſtud, in *Bibl. S. Victoris Pariſ. mſ.* habetur teſte *Launojo* in *Acad. Pariſ. illuſtr.* P. III. L. 1. p. 459.

IV. *fol.* 47. *Inuectiua precelſi Magiſtri H. de Haſſia contra Monſtrum Babilonis. tempore Sciſmatis inueterati in Concilio Conſtan. terminati.* Initium: *Univerſis Nauicule Petri gubernacula inter vndoſi maris procellas regentibus* &c. Dedimus Tractatus hujus *Caput* I. ad *Cod.* XC. Defuerat illud in *Codice Helmſt.* unde *Hardtius* editionem adornarat *Actor. Conc. Conſt.* T. II. P. I. Adeſt vero etiam in praeſenti *Caeſareo*, ad quem totum Tractatum exigere fortaſſis haud foret inutile; *Helmaeſtadienſem* enim a recentiore manu aliquid humani paſſum ſuſpicio obrepere poſſit. Sequentia ſaltem Loca collata Lector expendat:

Caeſ.	Helmſt.
Si conueniat Vrbanum quintum Brigittam de ſwecia, Ducem Britanie Karolum rationabiliter canonizaſſe.	*Si conveniat, Urbanum V. Brigidam de Suecia, Ducem Britanniæ Carolum*, non obſtante nimia Sanctorum multitudine *canonizari?*
Si deceat quorundam ſanctorum feſta ſollempnius peragere quam ſanctorum Apoſtolorum.	*Si deceat quorundam* novorum *Sanctorum Feſta ſolennius peragi, quam præcipuorum Apoſtolorum?*
Si iuſtum ſit quosdam Cardinales et prelatos Eccleſias veteres deſerere et ſub eisdem redditibus nouas capellas erigere. &c.	*Si juſtum ſit, priores Sanctorum ſolennes Eccleſias deſeri et deſtrui*, reditibus a collectoribus vel Cardinalibus levatis. *Et quandoque poſt ad eorum memoriam, vel quaſi gloriam, capellulas novas ædificari* &c.

Ni quis vero ſimilius dicere malit, *Caeſareum* potius Exemplum a Librario hinc inde contractum fuiſſe, cum alter *Codex Caeſ. ſupracit.* paene legat, ut *Helmaeſtadienſis.* Ad calcem praeſentis adjecta ſunt quaedam e *Poemate* Noſtri de eodem *Sciſmate*, quod *Cod.* CLXVI. indicavimus.

V. *fol.* 64. *Epiſtola informatiua ſuper ſciſmate.* Inſcripta: *Illuſtriſſimo Principi Domino Roberto Juniori Comiti Palatino Duci Bauarie Electori. Quidam Clericorum minimus. Robertus* hic eſt II. dictus *Parvus* et *Tenax* Elector ab a. 1390 — 98. *Clericum* vero illum habeo *Henricum* noſtrum *de Haſſia*, quamvis *Epiſtolae*